

lerit suorum ciuium libertatem fratris saluti :
 et parere legibus, quam imperare, satius
 duxerit. Hac mente per haruspicem, com-
 munemque adfinem, cui soror ex iisdem pa-
 rentibus nata nupta erat, fratrem tyrannum
 interficiendum curauit. Ipse non modo ma-
 nus non adtulit, sed ne adspicere quidem
 fraternum sanguinem voluit. Nam, dum res
 conficeretur, procul in praesidio fuit, ne quis
 fatelles posset succurrere. Hoc praeclarissi-
 mum eius facinus non pari modo probatum
 est ab omnibus. Nonnulli enim laesam ab
 eo pietatem putabant, et inuidiam laudem vir-
 tutis obtinebant. Mater vero post id factum,
 neque domum ad se filium admisit, neque ad-
 spexit, quin eum fratricidam impiumque de-
 testans compellaret. Quibus rebus ille adeo
 est commotus, vt nonnumquam vitae finem
 facere voluerit, atque ex ingratorum homi-
 num conspectu morte decedere.

II. Interim Dione Syracusis interfecto,
 Dionysius rursus Syracusarum potitus est :
 cuius aduersarii opem a Corinthiis petierunt,
 ducemque, quo in bello vterentur, postula-
 runt. Huc Timoleon missus, incredibili feli-
 citate